

SCHOLIA
CRITICORVM

IN
LEVITICVM,

In Anglia & Belgio
edita,

Ad veterem historiam Hebræam
revocabunt.

INDVLTU NVMINIS,

ET

SERENISSIMI PRINCI-
PIS CLEMENTIA,

PRÆSES

THEODORVS DASSOVIUS,

SS. THEOL. ET LINGVAR. ORIENT. PROFESS.

ORDINARIUS, ET AD D. NICOLAI

PASTOR PRIMARIUS,

ET

RESPONDENS

PAVLVS FRIDERICVS OPITIVS, Kilon.

PHILOLOG. ET S. THEOL. CVLTOR.

ad diem Septembr. 1707.

IN AUDITORIO MAIORI.

a. X. XIV. 44

VITEMBERGÆ,

RECUSA AB ANDREA HEBERO, M DCC XIII.

miss. A

4

CRITICVM

LEAVITICVM
In Anglia & Belgio

Ad veterem pulcherrimam Editionem
INDVLTV NVMERIS

SERENISSIMO PRINCE
PIS CLEMENSIA



THEODORVS DASSOVIVS
SS. THEOL. ET LINGVÆ GRÆCÆ PROFES.
ORDINARIVS, ET AD P. NICOLAI
PASTOR PRIMARIVS

RESPONDENS
PAVLVS FRIDERICVS OPTIVS KLIPF.
PHILOG. ET S. THEOL. CALTOR.

IN ANDRITIO MARE

RECVSA AB ANDREA HEBRO, M DCC XLII



I. N. I.

Scholia Criticorum in Levitici

CAPUT. I

§. I.



Cribit *Munsterus*, sex esse sacrificio-
rum apud Hebræos species, nem-
pe: holocaustum, munus cibarium,
oblationem pro peccato, oblationem
pro delicto, sacrificium consecratio-
nis (sacerdotis), & sacrificium pacifi-
cum. Sed Respondetur (1) Hebræi
numerant tantum sacrificiorum spe-

cies 4. Nam sacrificia publica sive Ecclesiæ erant duorum ge-
nerum, vel holocausta, vel sacrificia pro peccato. Privata
autem erant 4. generum, holocausta, pro peccato, pro rea-
tu, & salutaria sive pacifica, docente *Maimonide de oblationibus*
c. 1. Respondetur (2) Munus cibarium non erat species sa-
crificii, sed distinguebatur a sacrificio, eratque oblatio de
terræ frugibus data, & vel sine sacrificio, vel cum sacrificio
conjunctum offerebatur; sed sacrificium unum cum altero
non conjungebatur, ut scribit *Maimon. in Prefatione in Mi-
schn. Menachoth*. Respondetur (3) sacrificium consecrationis
a pacifico non distinguebatur, quia erat pacificum.

§. 2. Scribit *Bonfrerius*, duplicem fuisse morem funden-

di sanguinem ad basin altaris (1) immediate ad basin, nempe in sacrificiis pro peccato & delicto (2) meditate cum per altaris parietes fundebatur, indeque decurrebat ad basin, nempe in holocaustis & pacificis. Respondetur (1) in omnibus istis 4. sacrificiis sanguinis fundebantur ad parietem altaris, & illorum reliquæ fundebantur ad basin. Respondetur (2) immediate autem, sive solitarie fundebantur a basin sanguinis animalis primogeniti, animalis decimati, & agni paschalis. Vid. *Maimon. de oblationibus c. 5. § 17.*

§. 3. Scribit *Vatablus*, פֶּדֶר non fuisse adipem jecori adherentem, quia adeps aliter vocetur in scriptura; sed Respondetur, judæi constanter asserunt Peder fuisse adipem. Videantur *Bartenora in Miscbnam de jure sacrificio c. 4. & Kimchius in libro Radicum in R. פֶּדֶר*. Licet autem adeps etiam vocetur Chelebh, tamen erat adeps alius, quam hic memoratus.

§. 4. Scribunt *Munsterus, Fagius, & Vatablus*, ungue secare avem, si offerretur in altari, idem fuisse ac avem discerpere digitis. Sed Respondetur solo pollice manus dextræ fiebat ungue sectio, ut avis manui sinistrae exteriori sacerdotis imponeretur, & deinde ungue pollicis manus dextræ aspera arteria & gula secarentur, & caput avelleretur, si avis in holocaustum offerretur: si autem in sacrificium pro peccato offerretur, vel sola aspera arteria, vel sola gula secaretur, non avulso capite, ut docet *Maimon. in Libro de oblationibus c. 6.*

Scholia in Caput 2.

§. 1. Afferunt *Munsterus & Malvenda*, pugillum de munere in altari combustum cessisse in odorem, vel suffimentum. Sed Respondetur, cedebat in memoriale, ut Deus benigne recordaretur muneris, si pugillus de eo combureretur. Videatur *Jarchius in h. l.*

§. 2. As-

§. 2. Afferit *Oleaster*, lagana fuisse panes crassos, & placentas fuisse panes tenues; Sed Hebræi constanter asserunt, lagana sive *Rekikin* fuisse tenuia, & placentas sive *Challotb* fuisse crassas. Vid. *Lexicon Aruch* f. 40. & *Maimon. in Mischn. Beza* f. 99. p. 2. edit. *Rivensis in fol.*

§. 3. Afferit *Lyra*, primitias etiam fuisse oblatas in festo tabernaculorum; sed judæi primitias oblatas fuisse dicunt, non nisi in festo paschali, ubi manipulus paschalis offerebatur de hordeo, & in festo pentecostali, ubi primitiæ offerebantur de tritico. Vid. *Maimon. de primitiis* c. 2. seqq. & *Jarchius in Levit. 23.*

Scholia in Caput. 3.

§. 1. Commentatur *Hugo Grotius*, sacrificia salutaria fuisse trium generum, vel enim fuisse gratiarum actoria ob accepta beneficia, vel fuisse voti solutionem, vel fuisse meræ liberalitatis. Sed Resp. (1) si sacrificia salutaria voto essent promissa in periculis e. g. in periculo maris, vel periculo deserti, vel periculo carceris, vel periculo morbi &c., & deinde offerebantur, erant utique gratiarum actoria, ob acceptam liberationem ex periculis oblata. Vid. *Jarchius in Levit. c. 7.* Resp. (2) si sacrificia gratiarum actoria etiam essent meræ liberalitatis, sive non promissa voto, tamen offerebantur ob acceptum beneficium, & sic a sacrificiis gratiarum actoriis ob beneficium oblatis non distinguebantur.

§. 2. Commentatur *Vatablus*, quod renes sint juxta ilia, & phrasis: cum adipe, quo teguntur ilia, ita debeat explicari, quia renes sunt juxta ilia. Sed Resp. Hebræos explicare de adipe, non de renibus. Itaque duæ occurrunt phrasæ (1) *adeps operiens intestina*, quæ phrasis intelligitur de adipe adherente intestinis. (2) phrasis: *adeps qui est super intestina*, quæ phrasis intelligitur de adipe renum, quo adeps dicitur esse

esse super intestina, quia quando animal ambulat, adeps re-
num intestinis incumbit. Videatur *Jarchius in b. l.*

§. 3. Commentatur *Bonfrerius*, holocausta & hostias
pro peccato & pro delicto pacificis longe sanctiora fuisse, quæ
passim sancta sanctorum appellentur. Sed Resp. sacrificia pa-
cifica, sive salutaria etiam erant summæ sanctitatis, si essent
publica sive Ecclesiæ, qualia erant duo agni pentecostales pro
ecclesia oblatis; sed sacrificia pacifica privata, erant holocau-
stis, & sacrificiis pro peccato & delicto inferiora. Videatur *Mai-
mon. de oblationibus c. 1.* Itaque debebat dicere *Bonfrerius*, quod
holocausta, & hostiæ pro delicto fuerint sanctiora sacrificiis
salutaribus privatis, non vero sacrificiis salutaribus in genere.

§. 4. Commentatur *Lyra*, adipem prohiberi tantum
animalium immolatorum v. g. adipem bovis, ovis, capræ:
sed Resp. Judæi ipsimet etiam adipem animalium non im-
molatorum fuisse prohibitum asserunt, v. g. animalium he-
terogeneorum, immundorum, laceratorum, & mortuorum,
ut docetur in libro *Siphra P. 2. f. 36. col. 4. & f. 37. col. 1.*

Scholia in Caput. 4.

§. 1. Existimat *Cornelius a Lapide*, peccatum a delicto
ita distingui, ut peccatum sit, quod prudenter & scienter com-
mittitur, delictum quod ignoranter fit, puta per impruden-
tiam, oblivionem, vel etiam inscitiam, maxime juris. Sed
Resp. Hebræi scribunt sacrificia pro peccato fuisse oblata,
pro peccatis ex ignorantia contra præcepta prohibentia
commissis, ut docet *Maimon. in libro de erroribus c. 1.* sic v. g.
sacrificium pro peccato offerebat, qui per errorem idolola-
triam commiserat, vel qui per errorem templum & res
Sacras immundarat, inculcante *Maimonide in Prefatione
in librum Mischnicum de sanctitatibus.* Sacrificia autem pro
delicto, sive pro reatu erant, quæ pro damno illato offe-
reban-

rebantur, erantque duæ illorum species; vel enim offerebantur pro reatu dubio, si homo dubitaret, an damnum factum, vel non factum esset, vel offerebantur pro reatu certo, si homo certo sciret, damnum esse factum v. g. si homo usum caperet ex re sacra illicita, damnum rei sacræ intulerat, vel si homo rem suæ fidei commissam perdiderat, vel si alterius sponsam violaverat &c. Videatur Maimon. in Prefatione in librum Mischnicum de sanctitatibus.

§. 2. Existimant Junius & Tremellius, cum Pontifex summus Hebræorum in reatum dicitur induxisse populum, illud ita explicari debere, quod peccaverit sacerdos summus offerens oblationem delicti pro populo, non secundum ritum. Sed Respondetur, Hebræos docere, indicari h. l. peccatum sacerdotis summi, in docendo commissum, si rem aliquam docuisset in Synedrio, quæ doceri non debebat, & populus falsam doctrinam secutus esset, & peccasset, ita quidem, ut ignoraret se peccasse. Ita ex Hebræis refert Jarchius in b. l.

§. 3. Existimant Hugo Grotius, quia in Pontificem maximum Hebræorum & Senatum, non putentur cadere posse peccata gravia, ideo solam pro illis factam expiationem fuisse pro peccatis Ignorantiæ. Sed Respondetur, sacrificia pro peccato offerebantur quidem, si Judæi ex ignorantia peccarant; poterant tamen peccata ex ignorantia commissa etiam esse gravia v. g. qui idololatriam commiserat per ignorantiam, offerebat sacrificium pro peccato, qui templum & sacras res immundarat per ignorantiam, offerebat sacrificium pro peccato. Quæ sane peccata erant gravia. Vid. Maimon. in Prefatione in titulum de sanctitatibus.

Scholia in Caput. 5.

§. 1. Arbitratur Malvenda, quod homo dederit sacrifici-

ficiam pro reatu, si etiam ignorans, vel imprudens fuisset pollutus tactu reptilium. Sed Respondetur, tactus reptilium non merebatur sacrificium pro reatu, sed si homo, qui tetigerat reptile, adhuc immundus ingressus esset templum, & res sacras tetigisset, vel comedisset, reus fiebat sacrificii pro reatu. Ita explicant *Jarchius in b. l. & Maimon. in Praefatione in librum de sanctitatibus.*

§. 2. Arbitratur *Mercerus*, juramentum, quod homo labiis suis pronunciarat, fuisse ejusmodi, si jurasset, se malum poenae irrogaturum, ut si pater se castigaturum liberos juraret; *Grotius* autem explicat hoc juramentum de nocu-mento lege permisso, & de postulatione talionis, ac vindicta in homicidam. Sed Respondetur, *Maimon. in titulo de juramentis c. 1. & c. 5.* explicat juramentum rei pronuntiatæ his verbis, si quis juraret se non edere velle & ederet, vel se velle edere, & non ederet, vel se edisse, cum non edisset, vel se non edisse, cum edisset, erat juramentum rei pronuntiatæ, c. 1. & si hæc intelligeret de rebus lege interdictis ne comederentur, & dixisset se non edisse ac edisset reus erat; sed si diceret se edere velle, erat liber. c. 5. §. 6. seqq.

§. 3. Arbitratur *Fagius*, propterea non separatim fuisse in sacrificio avis pro peccato oblatae caput, quia illa avis præfigurabat Christum, caput nostrum, a corpore suo sive Ecclesia nunquam avellendum, illumque non periisse in morte, sed caput sustulisse in vitam perpetuam. Resp. Hac ratione caput quoque avelli non debuisse, ab ave, si in holocaustum offerretur, quia & hæc avis præfigurabat Christum; imo hac ratione nec animali quadrupedi in sacrificium oblato præscindi caput debuisset; cum & hoc adumbraret Christum.

Scho- 2. Arbitratur Mercerus, quod homo debent

Scholia in Caput 6.

§. 1. Sentit *Oleaster*, rem in manum depositam non præcise intelligi de pecunia data, sed de re quacunque alia; sed *Jarchius* cum aliis Hebræis constanter asserit, rem in manum depositam non esse nisi pecuniam, qua homines in commercio versantes negotientur, & quam alter alteri tradat mutuo sine negotiatione.

§. 2. Sentit *Drusius*, per depositionem rei in manum intelligi confirmationem contractus, quando manum damus alteri, ut contractum confirmemus; sed hæc Hebræis non arrident, aliter explicantibus.

§. 3. Sentit *Hugo Grotius*, oppressionem, cujus mentio injicitur in hoc capite, esse coactionem, si quis cogatur solvere, quod non debet; sed *Maimon. in titulo de re rapta & perdit a c. 1. §. 1.* oppressionem ita describit, quod exerceatur, si quis acceptas pecunias apud se retineat, & nolit solvere, v. g. si datae sint pecuniæ mutuo, vel etiam si mercenario solvere pecunias nolit. Quo cum consentit *Ben. Melech in Michlal jopbi f. 26. col. 1.*

§. 4. Sentit *Münsterus*, verba: *bac est lex holocausti* indicare holocaustum jugesacrificii; sed *Jarchius* in h. l. commentatur, indicari parem esse legem omnium in altari combustarum rerum, etiam adipum, & membrorum ad altare destinatarum, (si alia membra ederentur), ut per totam noctem comburerentur, & si venissent in altare, non descenderent.

§. 5. Sentiunt *Menochius, & Cornel. a Lapide*, quod jugesacrificium fuerit per totam noctem combustum, ut sacerdos excubias egerit, attenderitque, ut successive partes jugesacrificii vespertini altari imponerentur; sed Hebræi scribunt, præter jugsacrificium vesperinum, etiam per totam

B. tam

tam noctem comburi potuisse ea, quæ interdiu comburi debebant, & neglecta fuerant v. g. pugillum de muneribus sumptum, suffitum, thus, ligna, munus sacerdotum, munus sacerdotis uncti, & munus libaminum. Vid. *Sipbra Part. 2. fol. 3. p. 1.*

§. 6. Sentiunt *Junius & Tremellius*, quod jugesacrificium matutinum celeri igne absumptum fuerit, ut spatium concederetur aliis sacrificiis, in eadem ara ustulandis; sed *Jarchius* cum aliis Hebræis commentatur, licet jugesacrificium matutinum nondum esset combustum, tamen alia sacrificia imponi huic sacrificio nondum combusto potuisse, ceu patet ex Levitici. 3. v. 5. ubi jubetur imponi sacrificium gratiarum actorium holocausto in altari nondum combusto.

§. 7. Sentit *Vatablus*, cinerem altaris holocaustorum fuisse depositum in parte orientali, & vocem *hy* significare idem quod *de*, quasi dicat scriptura, quod de altari depositus fuerit ille cinis. Sed Hebræi scribunt, vocem *hy* significare idem ac *super*, ut sensus sit: tollet (sacerdos) cinerem, qui est super altare, & ponet illum juxta altare. Singulo autem mane de altari auferebatur semicorus, sive quinque ephæ. Vnde scribit *Jarchius* in h. l. quod ex cinere holocausti auferret partem sacerdos, & poneret juxta altare.

Scholia in Caput 7.

§. 1. Autumant *Arias Montanus & Malvenda*, in versic. 12. agi de confessione, quasi sacrificium super confessionem oblatum fuerit. Quod ulterius in Bibliis Criticis explicatur, quod de confessione peccati in genere intelligatur, quia in specie sacrificia pro peccato, vel delicto offerri debebant. Sed Resp. hæc frustra dici, cum nusquam legatur sacrificium pro peccato in genere fuisse oblatum; quin potius hic de sacrificio gratiarum actorio sermo est, ceu patet ex panibus cum illo oblatis.

§. 2. Au-

§. 2. Autumant *Pagninus Junius & Tremellius ac Piscator*, quod de panibus, cum sacrificio gratiarum actorio conjunctis, unus tantum panis oblatus (vel consecratus) fuerit, cum secundum Hebræos quatuor offerrentur panes, quia quatuor erant panum species. Videatur *Maimon. de oblationibus c. 9. Miscbna de muneribus c. 5. seqq. & Abarbanel in Levitic. f. 23. col. 4.*

§. 3. Autumat *Junius*, carnem abominabilem, sive foetidam, fuisse carnem, quæ fiat vetustate deterior. Sed Respondetur, carnem sacram vetustate factam deteriore non vocari abominabilem; sed caro vocabatur abominabilis, si ultra tempus edendi in lege constitutum asservaretur, (licet esset recentior); v. g. sacrificia salutaria edebantur per biduum; quod si illorum carnes ultra diem tertium asservarentur, fiebant foetidæ & abominabiles, ac comburebantur, non factæ deteriores, quia erant, coctæ. Nam res facta illegitima dicebatur, si ederetur extra locum sacrum, sive extra atrium, interim tamen ad alios adhibebatur usus, sed res facta abominabilis, sive foetida erat, quæ ultra edendi tempus dilata erat, & ad omnes inepta usus, comburi debebat. Itaque non modo caro sacrarum victimarum, sed & alia res ultra edendi tempus dilata vocabatur abominabilis, sive foetida; sic panes cum sacrificio gratiarum actorio conjuncti, ut & panes cum duobus agnis pentecostalibus conjuncti, si ultra tempus edendi differrentur, fiebant abominabiles. Vid. *Maimon. de rebus sacris, quæ factæ erant illegitimæ. c. 17.*

§. 4. Autumat *Cornel. a Lapide*, carnem sacram sacrificii salutaris, si quid immundum tetigisset, sive immundata esset, non debuisse edi, sed carne alia non sacra, licet quid immundum tetigisset, sive immundata esset, licuisse vesci Deut. 12. v. 15. 22. Sed *Jarchius* scribit, in locis allegatis sermo-

B 2

nem

nem esse de rebus sacris, quæ factæ erant vitiosæ, & hinc redemptæ, quod illæ res sacræ edi possent. Sed illæ res non poterant vocari non sacræ ante redemptionem.

§. 5. Autumat *Vatablus*, verba v. 20. si quis comedisset carnem sacrificii salutaris, & haberet immunditiem, ejus animam excindi debere, intelligenda esse de eo casu, si impurus esset impuritate interna. Sed *Jarchius* ad mentem Hebræorum commentatur, intelligi impuritatem externam. Erat autem sub excisione, quia erat sub maledictione a sacerdotibus inflictæ.

§. 6. Autumat *Oleaster*, oblationem v. 29. cum sacrificio salutari connexam, esse carnes, vel simillam, oleum ac vinum. Sed Hebræi scribunt, esse adipem sacrificii salutaris. Nam licet armus de hoc sacrificio elevaretur, & pectus agitaretur, tamen non nisi adeps veniebat in altare, quia carnes edebantur a sacerdotibus. Pectus autem imponebatur adipi, & adeps vicissim imponebatur pectori, si de manu in manum traderentur. Nam cum sacerdos manibus hominis, sacrificium dantis, imponeret membra (agitanda), infra ponebat adipem, & adipi imponebat pectus, & pectori armum, ac deinde suas manus manibus hominis sacrificium dantis ad agitandum supponebat; sed cum illa membra sacerdoti combusturo darentur, ponebatur pectus cum armo infra, & adeps superimponebatur. Vid. *Elias Oriental. in Levit. c. 7. & Talm. Babyl. de muneribus c. 5.*

Scholia in Caput 8.

§. 1. Emendandus *Lyra* est, existimans in v. 3. propterea dici congregatum fuisse cœtum, quia omnis populus videre debuerit, Aaronem se non in sacerdotium ingessisse. Sed *Jarchius* ad mentem Hebræorum scribit, aliquos tantum de cœtu fuisse congregatos, & paucos h. l. intelligi.

§. 2. Cum-

§. 2. Cumque in v. 26. se torqueant interpretes, & expedire se non possint, quomodo sit describenda placenta panis olei, quam alii oleatum panem vocant, sciendum est hujusmodi placentam fuisse cum oleo frixam, cum aliæ placentæ tantum cum oleo pararentur (*gefnetet wurden*) aliæ oleo tantum ungerentur. Videatur *Sipbra P. 2. f. 10. p. 2. Eilias Orient. f. 169. p. 1. Maimon. p. 3. de oblationibus c. 9. & imprimis Maim. in Mischnam Menachot b. f. 366. p. 1. edit. Rivenfis.*

§. 3. Emendandus quoque *Pagninus* est, qui in v. 28. verba: *Et adolevit* (*Moses*) *super holocaustum*, ita interpretatur, quod istæ sacrificiorum partes in holocaustum oblatae fuerint. Sed Respondent Hebræi, hic sermonem esse de sacrificiis salutaribus, quæ offerri in holocaustum non poterant, quia sic holocausta fuissent; sensum ergo hunc esse, quod armum sacrificii salutaris post holocaustum obtulerit *Moses*. Videatur *Jarchius* in h. l. qui præterea addit, hunc armum solum fuisse in altari oblatum, reliquos armos fuisse a sacerdotibus comestos.

Scholia in Caput 9.

§. 1. Vult *Piscator*, versiculum 16. ita explicare, quod præter munus, jam ab Aarone oblatum, cum holocausto etiam offerri alia debeant sacrificia, nempe pro peccato. Sed Respondetur, in hoc versiculo innui præter holocaustum offerendum esse munus quotidianum cum holocausto conjunctum, & hoc munus post holocaustum offerri debuisse. Ita docet *Jarchius*. Nam sacerdos summus quotidie offerebat munus in sartagine tostum, posteaquam jugesacrificium matutinum tanquam holocaustum oblatum esset. E. non aliud sacrificium, sed munus præter holocaustum offerebatur.

§. 2. Vult *Bochartus*, adipem operientem intestina esse

B 3

adi-

adipem omenti, sive diaphragmatis; sed *Jarchius* ex Hebræorum mente asserit, indicari quemlibet adipem in testina operientem. Nam solus ventriculus vocari intestinum nequit.

§. 3. Vult *Menochius*, gloriam Domini v. 23. esse ignem cœlitus delapsam; sed Hebræi illam gloriam de nube tabernaculo incumbente interpretantur, quod illa nubes non apparuerit, cum Aaronis oblationes offerrentur. Ita *Jarchius* in b. l. Nam gloria Domini partim de nube throno gratiæ incumbente, partim de nube tabernaculo incumbente, trita apud Hebræos phrasi dicitur.

Scholia in Caput 10.

§. 1. Persuadet sibi *Malvenda*, v. 6. injungi ob mortem filiorum Aharonis non debere a pileo vel cidari caput esse vacuum, sive non debere pileum vel cidarim detrahi de capite, quia hoc signum fuerit luctus. Sed *Jarchius* cum aliis rectius interpretatur, non debere comam ali ob mortem filiorum Aaronis. Ita quoque explicatur verbum עָרַף in *Siphra P. 2. f. 55.* unde etiam hoc verbum opponit tonsioni *Maimon. in titulo de vasis sanctuarii c. 5. §. 6.* Neque si pileus, vel cidaris removeretur a capite, propterea caput erat nudum, quia etiam in luctu capita involvebantur sudariis. Videatur *Kimchius in Ezech. 24. v. 17.*

§. 2. Persuadet sibi præterea *Malvenda* siceram vocari omnem potum inebriantem. Sed Hebræi scribunt, licet sicera vel ex melle vel ex hordeo conficeretur, tamen fuisse cum vino mixtam; quod si non cum vino commisceretur non proprie fuisse dictam siceram. Vid. *Maimon. de votis c. 3. §. 1. seqq. & de Nasirais c. 5. §. 1.* Ergo sicera non qua talis, sed quatenus cum vino mixta erat, vocabatur potus inebrians, sive non ratione præparationis, sed commixtionis; nec vinum in ebrians vocabatur sicera.

§. 3. Per-

§. 3. Persuadet sibi Cl. *Quistorpius*, per hircum h. l. intelligi hircum pro peccato principis oblatum; sed Respondet *Jarchius*, quia hic hircus fuerit combustus, non posse intelligi nisi hircum novilunio proprium. Nam hoc die fuisse tres oblatos hircos, nempe hircum caprarum, tanquam sacrificium super additum Novilunii Numeri. 28. v. 15. hircum principis, sive pro peccato principis oblatum, & hircum novilunii; sed inter hos tres hircos solum hircum novilunii fuisse combustum. Præterea addit rationem, cur solus iste hircus combustus fuerit, quia nempe immundities illum, tetigerat; jam vero sancta perpetua sive quotannis oblata, (inter quæ erat hircus novilunii), si immunda facta essent, comburebantur.

Scholia in Caput II.

§. 1. Statuit *Malvenda*, vocem Hebræam פרסה notare unguam, superne & inferne fissam; sed *Jarchius* ad mentem Hebræorum scribit, Parsa notare unguam superius tantum fissam, & vocem *Scbesa* significare unguam superne & inferne fissam. Itaque versiculus tertius ita verti posset: quicquid ungulas findit superne, & quicquid ungulas findit superne & inferne simul, & ruminat, hoc vos comedetis.

§. 2. Statuit *Versio Arabica*, verba: est abominabile vobis, scilicet reptile, ita debere explicari, ut non comedatis de carne (illorum), & cadavera illorum horreatis; sed Respondetur, quando bis repetuntur verba, quod reptile sit abominabile, indicatur, quod nec ipsa reptilia edi debeant, nec eorum semina edi debeant, si feminibus aliquid inesset sapidum. Vid. *Jarchius in b. l.*

§. 3. Statuit *Bonfrerius* in v. 23. volucra 4. pedum, sive locustas quatuor pedum prohiberi, cum aliæ locustæ sex habeant pedes. Respondetur, etiam locustas sex habentes pedes

pedes prohiberi. Neque 4. pedes ita intelliguntur, quasi non habeant plures, sed quod præter illos quatuor pedes, duos quasi pedes habeant circa collum, qui robur dant ad volatum suscipiendum. Ita *Jarchius* in h. l.

§. 4. Statuunt *Willetus* & *Grotius* v. 34. agi de aqua immunda, quæ si ceciderit in cibum, illum immundet. Sed Hebræi constanter docent, ut refert *Jarchius*, hic agi de aqua munda, quæ si in cibum ceciderit, illum immunditiei reddat capax, sive faciat, ut immundari possit. Nam si cibus nulla aqua esset madefactus, non immundari poterat; si autem aqua munda in illum caderet, fiebat immunditiei futuræ capax. Quod patet ex v. 38. ubi dicitur, quod si aqua infunderetur femini, a terra avulso, vel plantæ seminatæ avulsæ, & deinde caderet in eam rem avulsam cadaver, quod tunc illa res immundaretur. Hinc quoque intelligitur versiculus 37. quod si cecidisset cadaver in semen seminatum, maneret illud semen mundum; nempe si in seminatum semen, sive in fruges seminatas, a terra avulsas, & nondum aqua conspersas cecidisset cadaver, manebant mundæ, quia nondum per aquam mundam aspersam factæ erant futuræ immunditiei capaces.

Scholia in Caput 12.

§. 1. Annotant *Junius* & *Oleaster*, puerperam totidem diebus fuisse immundam, quot diebus foemina, quæ languorem habebat menstruum, erat immunda. Sed Respondet *Elias Orientalis*, *Jarchii* interpretis in h. l. ad hoc dubium, quod semina puerpera quidem fuerit immunda, sicut menstrua, ut æque ac hæc immundaret illum, qui eam tangeret, ut & res, quibus insideret & incubaret; sed tamen dies immunditiei puerperæ differebant a diebus immunditiei menstruæ,

struæ, quia menstrua immunda erat tantum 7. diebus, sed puerpera immunda etiam erat 14. diebus.

§. 2. Quæ res ut melius pateat, sciendum est, quod si mulier gemellos peperisset, masculum & femellam, vel si peperisset duas femellas, se gereret, ac si solam femellam peperisset. Quod si partum ederet, nec masculum vel femellam, vel utrumque sexum referentem, se gerebat in immunditie ac si masculum, & deinde femellam peperisset, (sive prius observabat dies 7. deinde dies 14.) Quod si pareret gemellos, quorum unus masculum, alter nullum vel utrumque sexum referebat, eodem se gerebat modo; sed si unus ex gemellis femellam referret, alter neutrum vel utrumque sexum exprimeret, gerebat se tantum ac si solam femellam peperisset, (sive observabat tantum dies 14.) Vid. *Maimon. de incestu c. 10.*

§. 3. Annotant *Bonfrerius & Cornelius a Lapide*, sanguinem mundum puerperæ esse purificationem a sanguine partus. Sed *Jarchius* ad mentem Hebræorum scribit, sanguinem mundum esse illum sanguinem, qui exacto immunditie tempore videbatur. Nam si puerpera intra septem dies, qui posteaquam sanguis partus desisset, numerabantur, iterum videret sanguinem, ille sanguis erat mundus, & non inter sanguinis immundos partus numerabatur.

Scholia in Caput 13.

§. 1. Glossa *Vatabli* est, speciem lepræ *Babereth* dictam, esse maculam albam, vel candorem nitentem, cui Respondetur, omnem lepram fuisse albam, & candorem intentem, sed *Babereth* erat macula summe alba instar nivis & candor instar nivis nitens. Nam nisi hæc addantur, discerni hæc species lepræ ab aliis speciebus non poterat. Videatur *Maimon. de lepra c. 1.*

§. 2. Glossa *Willeti* est, lepræ speciem, quæ dicebatur *Seeth*, esse albedinem vividam, instar nivis; sed Hebræi scribunt, esse albedinem instar lanæ agninæ puræ cum agnus unius diei est: Vid. *Maimon. de lepra c. 1.*

C

§. 3. Glos.

§. 3. Glossa *Malvenda* est, eam lepræ speciem, quæ dicitur *Sappachath*, esse plagam, quæ sua sponte incidat in carnem; sed hac ratione non certam constitueret lepræ speciem, quia etiam reliquæ lepræ sponte nascebantur. Itaque Hebræi scribunt, *Sappachath* esse lepram albam instar calcis, ex qua albedine generetur alia lepra instar albuminis ovi, quæ etiam vocetur *Sappachath*, docente *Maimonide* in titulo de lepra c. 1. Cum itaque lepræ ratione albedinis distinguerentur, non existimandum est, quasi omnes lepræ diversas semper habuerint albedines, sed interdum quoque una lepra erat ex parte alba instar nivis, ex parte alba instar lanæ, & ex parte alba instar calcis. *Maimon. l. c.*

§. 4. Glossa *Drusii* est, carnem vivam, quæ in lepra apparebat, esse carnem sanam, ut sanata sit lepra; sicut enim ille, qui valet & sanus est, dicitur vivere: ita etiam caro dicitur viva i. e. sana. Sed Respondetur, si caro viva eadem esset ac sana, quomodo erat signum immunditiei, ut *Jarchius* docet in h. l. sic enim potius signum fuisset munditiei; Imo quomodo asseri posset, si caro viva appareret, esse lepram inveteratam, cum lepra sanata non sit inveterata. Itaque sensus hic est: si caro viva appareret, i. e. si pustula lepræ videretur sana superius, erat lepra inveterata, quia inferius plena erat ulceris. Vid. *Jarchius* in h. l.

§. 5. Glossa *Menochii* est, v. 12. per efflorescentem lepram intelligi peculiarem lepræ speciem. Sed Respondetur, efflorescens lepra dicebatur, si totum corpus tegeret, quod evenire in omnibus lepræ speciebus poterat.

§. 6. Glossa *Willeti* est, *Schechin* esse ulcus ex inflammatione ortum. Sed hæc descriptio non sufficit, quia non exprimitur, qualis inflammatio intelligatur. Itaque *Schechin* significat calorem, cum incaluit caro, ex percussione lapidis vel ligni, ut ex percussione inflicto vulnus sit, & ex vulnere incen-

incen-

incensa caro sit, ut docet *Jarchius in b. l.* & sic *Scheebin* differēbat a *Michva*, quæ vox notat adustionem ex igne contractam.

§. 7. Glossa *Bocharti* est, v. 19. lepram albam subrubidam debere explicari de lepra alba lucente. Nam vocem quæ subrubidum significat, etiam de lucente posse explicari. Sed Respondetur, Hebræos cum *Jarchio* constanter explicare de lepra mixta ex albo & rubro colore. Sermo autem est de carne viva in lepra nata, si lepra ex adustione ignis contracta esset, quod illa caro viva appareret ex albo & rubro colore mixta, & sic suspicio esset lepram ibi adesse. Refert quoque *Maimon. tit. de lepra c. 1.* quod si color albus cum rubro commisceretur, semper color albus major fuerit rubro.

§. 8. Glossa *Vatabli* est, *Zarebbetb* significare adustionem natam ex humoribus, calore externo ambustis; sed Hebræi observant *Zarebbetb* significare cutem tenuem, lepræ obductam, ut commentatur *Maimon. in Mischn. de lepris c. 7.* Et *Ribbi Simson in titulum de lepris fol. 79.* describit hanc cuticulam, quod sit tenuissima, instar cuticulæ, alii, adeoque non dura, sed mollis. Unde patet præterea, *Zarebbetb* non commode verti per cicatricem, quia cicatrix dura est, nec facile rumpitur.

§. 9. Glossa *Fagii* est, lepram calvitiei in anteriore parte capitis, etiam posse explicari de eo casu, si nulli capilli adfuissent, vel frons depilata esset; lepram autem calvitiei in posteriore parte capitis posse explicari de eo casu, si adfuissent capilli & defluxissent, vel totum caput esset depilatum. Sed *Maimon. in titulo de lepra c. 8.* scribit, si crines capitis decidissent, vel etiam crines barbæ, non vocari lepram calvitiei, sed lepram porriginis; lepra autem porriginis immundabat pilo fulvo, sed lepra calvitiei immundabat carne viva.

§. 10. Glossa *Lyræ* est, leprosos laceratis vestibus incessisse, ut vestes sine læsione induerent. Sed laceratio vestium

non iuvabat induitionem, quasi facilius induerentur vestes, quia vestes in humero tantum lacerabantur versus collum, & quidem extra futuram, si luctus esset acerbior. Illam autem lacerationem in luctu usitatam, leprosi imitabantur, quia se ejectos esse ex urbibus, & a consuetudine hominum avulso querebantur. Videatur *Jarchius in b. l.*

§. 11. Glossa *Menochi & Fagii* est, quod leprosi nudis inceserint capitibus; sed *Maimon. in titulo de lepra c. 10.* docet, leprofos incesisse obvelatis capitibus, ita quidem, ut velamen capitis, etiam barbam superiorem teget, in quo velamine per duo foramina oculi prospicere libere poterant. Cujusmodi velamen delineat *Dapperus in sua Mesopotamia, Babylonia, Assyria, Anatolia, & Arabia edit. Norib. p. 114.* Observetur tamen foeminam leprosam hujusmodi non attendisse ritus, quia nec caput obvelabat, nec vestes lacerabat, nec labium superius tegebat, fatente *Maimonide l. c.*

§. 12. Glossa *Munsteri, & Drusii* est; quod leprosus cum dicatur sedisse solus, excluderet societatem sanorum hominum. Sed *Jarchius in h. l.* ad mentem Hebræorum annotat, quod etiam cum leprosis immundis sedere non potuerit, quia nec illi ferre tristem halitum oris poterant.

§. 13. Glossa *Simeonis de Muis* est, dubitari debere, an lepra tantum in lana & lino, an vero in quibuslibet vestibus generaretur? sed in sola lana, & solo lino generatam fuisse lepram Hebræi unanimi consensu asserunt, fidem faciente *Maimonide in titulo de lepra cap. 11.* consentiente *Jarchio in b. l.* Addunt Hebræi nunquam fuisse generatam lepram in veste nigra, vel colorata, sed in sola veste alba.

§. 14. Glossa *Castalionis* est, dubitandum esse, an stamen & subtegmen lepra infici potuerit; Sed *Maimon. in titulo de lepra c. 13.* scribit: si lepra appareret in stamine subtegmen fuisse

fuisse mundum, & si in subtegmine appareret, stamen fuisse mundum; ut de eo dubitari amplius non possit.

§. 15. Glossa *Oleastri* est, calvitiam in veste esse omnimodam corrosionem; depilationem vero non esse omnimodam corrosionem. Sed Hebræi cum *Jarchio* affirmant, lepram in vestis calvitie, sive in fronte, esse lepram in facie vestis anteriore; lepram autem in vestis depilatione, sive occipite, esse lepram in facie vestis posteriore (auff der un rechten Seite)/ adeoque eo sensu hæ phrasæ explicandæ sunt.

Scholia in Caput. 14.

§. 1. Sentiunt *Junius* & *Ariasmontanus*, leprosum, pro sua mundatione, duos obtulisse passeris; sed de passeribus altum est apud Hebræos silentium; siquidem *Maimon. in titulo de lepra c. 10.* communiter duos fuisse turtures oblatos, licet etiam aliæ aves offerrentur, si mundæ essent; sed an passeris inter aves numerentur mundas, literati ambigunt.

§. 2. Commentatur *Tirinus*, mundationem leprosi ave viva factam esse hoc modo: aspergillum hoc tale erat: virgæ cedrinæ alligabantur hyssopus, & passer, cum filo coccineo. Sed *Maimon. in titulo de lepra cap. 11.* ita mundationem leprosi recenset, quod lignum cedrinum continens in longitudine pedem cum dimidio, & in crassitie quartam pedis partem, & hyssopus latitudinem manus æquans fuerint lana coccinea ligata (non vero avem vivam fuisse cum iis colligatam; deinde avis vivæ extremitates alarum & caudam circa lignum cedrinum & hyssopum fuisse convolutas, & sic quatuor vicibus caudam avis vivæ fuisse immersam aquæ cum sanguine avis mortuæ commixtæ, & 7. vicibus aspersam fuisse leprosi manum, & deinde avem vivam in campum dimissam.

§. 3. Autumat *Oleaster*, leprosi mundandi aurem in teneritudine oleo fuisse tinctam; sed Hebræi asserunt carti-

lacinem auris, sive partem exteriorem vel circulum medium tingi oleo debuisse. Videtur *Jarchius* in h. l. Stabat autem leprosus in porta Nicanoris, per quam ex atrio mulierum in atrium Israelitarum ascendebatur, & cum sacerdos ex atrio sacerdotali veniret in atrium Israelitarum, extendebat leprosus caput suum, & manus atque pedes in atrium Israelitarum, quia illud ingredi non audebat, cum demum post occasum solis fieret mundus.

§. 4. Scribit *Matvenda*, Verbum *Pinnu* de domo leprosa adhibitum, ita debere explicari, quod domum leprosam reddiderint conspicuam. Sed licet hoc verbum conveniat cum voce *Panim*, quæ notat faciem, non tamen significat conspicuam reddere, vel faciem reddere domo, sive illam mundare; sed significat domum evacuare, ut sensus hic sit: domus infecta lepra esset & nondum accessisset sacerdos, qui illam immundam pronuntiasset, tunc omnia quæ ex domo ejiciebantur, erant adhuc munda, quia ante accessum sacerdotis, domus nondum habebatur pro immunda; quod si autem sacerdos accessisset, & domum clauderet, non quidem per illam occlusionem omnia, quæ in domo erant, fiebant immunda, sed tunc demum, si domum immundam pronuntiaret. In primis autem ex ejusmodi domo ejiciebantur vasa testacea, ut pote quæ, si immundata essent, lavari non poterant, ceu docent *Jarchius in b. l. & Maimon. l. c.*

Scholia in Caput 15.

§. 1. Afferit *Piscator*, salivationem fluxus esse, si homo salivam ejecisset. Sed Respondetur, addi debere, si salivam tenuem ejecisset. Nam alias illi, qui ejusmodi affecti morbo sunt, etiam salivam crassam ejiciunt. Itaque fluxus, qui instar tenuis salivæ erat, similis erat aquis hordeo affusis, & quodammodo tantum albicabat, sicut ejusmodi aquæ

aquæ albicare solent; sed fluxus crassus, qui obdurabat carnem, habebat albedinem ovi putridi; alii concubitus semen erat corporis sani, & habebat albedinem albuminis ovi recentis. Ita explicat ex Hebræis *Jarchius in b. l.*

§. 2. Cumque disputetur de immunditie hominis fluxu laborantis, & quomodo res ab eo immundata, res alias immundarit; sciendum est, per sedile intelligi illud sedile, quod huic homini assignatum erat, & per cubile, illud cubile, quod huic homini erat destinatum. Nam aliis rebus insidere vel incubare ei non permittebatur. *Sipbra P. 2. f. 147. seqq. & f. 152. & 162.*

§. 3. Arbitratur *Junius*, in v. 7. quamlibet corporis partem hominis fluxu laborantis non potuisse tangi sine metu immunditiei, præterquam lotas ejus manus, ut pateat ex v. 11. Sed Hebræi docent in v. 11. sermonem esse de lotione finito fluxu peracta. Quod si autem tangeret homo fluxu laborans alium, antequam lavaret se, licet fluxus desiisset, tamen illum hominem immundabat. Solebat autem posteaquam desiisset fluxus, numerare 7. dies, & iis finitis lavare totum corpus, ut docet *Jarchius in b. l.* qui addit manus synecdochice sumi pro toto corpore.

Scholia in Caput. 16.

§. 1. Opinantur *Malvenda*, *Menochius*, & *Grotius*, sacerdotem summum in festo expiationis, plane abstinuisse vestibibus aureis Pontificalibus. Sed Hebræi uno ore asserunt, sacerdotem summum usum quidem fuisse vestibibus suis pretiosis, cum mactaret juvenicum pro peccato probrio, & hircum pro peccato populi oblatum, vel alias victimas in illo die solenni offerret; sed tamen si sanctum sanctorum ingrederetur illo die, quod quater faciebat, non nisi vestibibus indutum fuisse lineis albis, quas non induebat sequenti anno,

anno,

anno, cum festi hujus celebratio repeteretur. Ita referunt *Maimon. de festo expiationis c. 4. & Miscbna de festo expiationis c. 4. & 5.*

§. 2. Opinatur *Munsterus*, *Asafaël* esse nomen montis, sed cum iste mons nusquam reperiatur, potius asserendum cum Hebræis est, hircum in desertum dimissum dictum fuisse *Asafaël*, quia abigebatur. Quod autem ductus in montem sit, Hebræi asserunt, licet montem ita dictum esse non adjungant. *Vid. Ioh. van der Waeyen de birco Asafelp. 168. seqq.*

§. 3. Opinatur *Junius*, ipsum propitiatorium fuisse sanguine conspersum semel, intra velum autem & ante propitiatorium sanguinem fuisse sparsum septies. Sed Hebræi asserunt, nunquam ipsum propitiatorium sanguine fuisse tinctum, licet si ex improvise tingeretur, ut una vel altera gutta in illud caderet, toleraretur. Nam sacerdos summus sanguinem in sanctum sanctorum delatum spargebat semel supra propitiatorium, sive propitiatorio altius, cum staret in parte orientali sancti sanctorum, & septies deorsum, sive propitiatorio humilior. Omnes autem illæ aspersiones fiebant solo digito indice manus dextræ, in libero aëre, ut guttæ sanguinis digito indice exceptæ, crepitu cum pollice facto in aërem ejicerentur, fidem faciente *Maimonide in titulo de festo expiationis c. 4.* Itaque cum in versione Germanica legitur gegen den Gnadenstuhl / sensus est; quod sanguis e regione propitiatorii spargeretur ad orientem, non quasi sacerdos vultum verteret ad orientem, sed quod ad orientalem propitiatorii faciem sanguinem spargeret.

§. 4. Opinatur *Piscator*, versiculum 18. de altari holocaustorum explicari debere, quasi sacerdos summus reliquias sanguinis ex sancto sanctorum allati asperserit altari holocaustorum; sed de altari suffitus sermo est, ut Hebræi commentantur. Nam sacerdos summus posteaquam sangui-

guinem juveni & hirci in sanctum sanctorum detulisset, & sparsisset, tunc sanguines commiscebat, & iis commixtis altaris aurei sive suffitus cornua aspergebat, incipiendo a cornu inter orientem & austrum medio, & ita ad reliqua cornua progrediendo, ut octo aspersiones numeraret. Vid. *Maim. de die expiationis c. 4. Mischna de die expiationis c. 7. & Abarbanel in Leviticum. f. 249. col. 3.*

Scholia in Caput. 17.

§. 1. Mens est *Bonfrerii*, obiectum esse sanguinem (in mactatione), ne bestia illum lamberent; sed Hebraei scribunt hoc factum esse, quia Deus jusserat. Nam bestiarum omnium, & avium mundarum, ac hinc ad esum licitarum sanguis in mactatione obtegebatur pulvere, vel terra, calce, cemento, arena, cinere, & alia re ejusmodi, praevia benedictione hac: benedictus sis tu Domine Deus noster, rex aeternae, qui sanctificasti nos praecipis tuis, & jussisti tegere sanguinem. Vid. *Maimon. de mactatione c. 14. & Mischna de animalibus mundis & immundis c. 6.*

§. 2. Mens est *Drusii*, *Terepha* esse animal morticinum, & ruptum, sive laceratum simul. Sed Hebraeis bestia *Terepha* vocabatur, quae morti quidem erat vicina, nondum tamen mortua v. g. si ab accipitre, leone vel alia bestia esset lacerata, & adhuc viveret, cujusmodi bestia edi non debebat, licet ante mortem mactaretur, docente *Maimonide in titulo de cibis prohibitis c. 4. & de mactatione c. 5.* Paria leguntur in *Mischna de animalibus mundis & immundis c. 3.* Quod autem vocabatur morticinum, illud erat & quidem a se ipso mortuum. Vid. *Matthias Martinus in Lexico Etymologico p. 2018.* Ergo non erat morti vicinum.

Scholia in Caput. 18.

§. 1. Vult *Vatablus*, nuditatem Patris esse eandem cum
D
nu-

nuditate matris hoc sensu, ut si quis dicatur retegere nuditatem patris, ille dicatur retegere nuditatem matris. Sed respondet *Elias Orientalis*, licet proprie intelligatur mater, tamen nuditatem Patris etiam dici de scorto Patris posse. Alii respondent, nec filia licere rem habere cum Patre, nec filio licere rem habere cum matre. Quando autem in v. 8. dicitur, nuditatem uxoris Patris tui non reteges, non existimandum est, uxorem patris & matrem esse synonyma, quia uxor patris etiam noverca dicebatur. Vid. *Jarchius in b. l.*

§. 2. Volunt *Menochius, Lyra, & Grotius*, sororem quæ ex patre vel matre, sive ex alterutro tantum parente sit genita, hoc in loco indicari. Sed Hebræi latius sermonem hunc extendunt. Nam scribit *Maimon. de incestu c. 2.* Soror prohibebatur sive domi, sive foris nata, i. e. sive esset ex patre, sive ex matre soror, tam nata ex legitimo toro, quam ex fornicatione nata, si pater, vel mater cum aliis rem habuissent, & filiam genuissent. Videatur quoque *Jarchius in h. l.*

§. 3. Vult *Arias Montanus*, prohibitam filiam uxoris Patris dici de filia ex Patre genita. Sed Hebræi hanc filiam latius interpretantur. Nam filia uxoris Patris prohibita erat, quæ generata ex Patre erat, & soror vocabatur; simul autem prohibebatur filia, quam uxor Patris, antequam Patri nupserat, ex alio marito pepererat. Itaque si quis rem cum sorore ex eodem Patre nata haberet, fiebat dupliciter reus, & quia cum sorore; & quia cum filia uxoris Patris consuevisset. Attamen filia nata ex muliere, quam Pater stupraverat, non vocabatur filia uxoris Patris. Quæ verba sunt *Maimonidis de incestu. c. 2.* Paria leguntur in *Talmude Babyl. de fratriarum jure c. 2.* Hinc etiam annotat *Jarchius in b. l.* prohibitam filiam uxoris Patris non intelligi de filia nata ex ancilla, vel ex gentilissa, quia hujusmodi persona non habebatur pro uxore Patris.

§. 4. Vult *Fagius*, per nuditatem Patruī, intelligi uxorem

rem

rem Patruī, quæ duci non debeat. Quæ quidem recte dicuntur, sed tamen uxor Patruī ulterius explicari debet. Nam si Patruus in uxorem duxisset ancillam suam, sive servam, aut si in uxorem duxisset gentilissimam, non habebantur ejusmodi uxores pro uxoribus, & hinc licebant. Quod si autem Patruus personam aliquam stuprasset, illa multo magis licebat, quia non erat uxor. Conferatur *Jarchius in b. l.*

§. 5. Volunt *Junius & Tremellius*, versiculum 17. ita intelligi debere: mulierem unam ad alteram ne assumes. Sed Hebræi vertunt: uxorem ad sororem ejus ne accipias. Hinc scribit *Maimon. in titulo de incestu c. 2.* uxoris soror duci prohibebatur. Imo licet expulsa uxor esset, tamen duci soror ejus non poterat, quam diu adhuc expulsa viveret. Ita *Jarchius in b. l.*

§. 6. Vult *Bonfrerius*, cum muliere menstrua non esse consuescendum, quia proles ex ea genita sit debilis, leprosa, & monstrosa; sed Hebræi aliam interdicti rationem dant; quia nempe illud sub pœna excisionis prohibebatur. Ita docet *Maimon. in libro de incestu c. 4.*

Scholia in Caput 19.

§. 1. Explicat *Hugo Grotius*, in v. 7. *Piggul* esse, quod offerri in altari non poterat, quia res minutæ non potuerint offerri, & sic nec illæ, de quibus ederant. Sed Respondet *Jarchius*, de perfecto residuo scripturam loqui, sive de residuo, quod de sacrificiis duobus & una nocte relictum fuerat, & non comestum, quod ad nullos adhiberi usus poterat, & hinc comburebatur.

§. 2. Explicant *Patribus & Fagius* angulum in agro relinquendum, tantum de angulo spicarum non demessarum, & de extremitatibus campi. Sed ager non modo de quolibet agro speciatim, sed & de qualibet parte agri, quæ diversa

ab alia parte agri frugum specie seminata erat, intelligebatur. Ita etiam fruges agri non præcise de frugibus, sed & de quibuslicet ex terra natis, & in cibum asservatis intelligebatur, etiam de lentibus, leguminibus, fabis pressis, & aliis in siliquis nascentibus, ut & de amygdalis, malogra-natis, dactylis, & ceteris, quia illorum collectio similis erat collectioni demessarum frugum; fidem faciente *Maimoni-de in titulo de donis pauperum. c. 2.*

§. 3. Explicat *Malvenda* vocem *Olalim*, v. 10. quod fue-rint parvi botri instar infantum, qui tolli de vinea non de-buerint, sed pauperibus relinqui; sed Hebræi scribunt *Olalim* fuisse racemos, qui non habebant ramusculum, neque gra-na in fine botri conjuncta. Videantur *Jarchius, & Elias Orient. in b. 1.* qui simul æri incidi curavit. Unde cum in versione Germanica legitur: auch soltu deinen Weinberg nicht genau lesen / sensus hic est, non colliges racemos de vinea tua.

§. 4. Explicant *Junius & Tremellius* vocem Hebræam *Pereth* quod significet acinos, de uvis deciduos; sed Hebræi scribunt esse baccas deciduas, quæ tempore vindemiæ de-cidere soleant. Videatur *Jarchius in b. 1.*

§. 5. Explicant *Fagius & Vatablus* versiculum 20, quod in eo indicetur ancilla, quæ non sit libera uxor, sed concubi-na, & a viro corrupta ac vitiata sit; sed certum est, non fuisse concubinam, sed sponsam, nec vocari libertate desti-tutam, quasi non sit libera uxor, sed quod nondum annos servitutis tanquam ancilla complevisset. Nam serva Hebræa desponsata vocabatur, quæ partim erat libera, partim serva, & servo Hebræo desponsata. Videatur *Miscbna de excisioni-bus c. 2.* Non tamen proprie vocabatur desponsata, quia ejus sponsalia non absolvebantur, antequam libertate do-naretur. Ita *Maimon. in titulo de mulieribus c. 4.*

§. 6. Ex-

§. 6. Explicat *Emanuel Sa*, versiculo 23. præcipi, amputandum esse arborum præputium; sed Hebræi nihil de arboribus resectum fuisse asserunt, sed omnes arborum fructus fuisse præputiatos, qui in arboribus tribus primis a plantatione annis crescebant. Videatur *Maimon. de decimis secundis, c. 9. & de cibis prohibitis c. 10.*

§. 7. Explicat *Vatablus* versiculum 27. quod ibi prohibeatur, ne in rotundum attonderetur coma; sed Hebræi angulos capitis & barbæ prohiberi asserunt, ne tonderentur. Videatur *Jarchius in b. l.*

§. 8. Explicat *Malvenda*, incisionem carnis Judæis prohibitam factam fuisse in honorem animæ hominis defuncti. Sed Hebræi scribunt, factam esse in testimonium doloris, atque luctus summi. Erat autem discrimen inter incisionem carnis pro mortuo factam, & inter scruptionem sculptam pro mortuo factam. Incisio carnis erat, si quis carnem iustar sulci incidere, ut sanguis emanaret, ut notat *Kimchius* in R. 773 & in R. שרט; sed scriptio sculpta erat, si quis incisionem profundam in carne factam, stibio, atramento, vel alio colore repleret, ut scriptio perpetuo duraret. Ita *Maimon. de idololatria c. 12. & Jarchius in Levit. c. 19.*

§. 9. Explicat *Hugo Grotius* versiculum 30. quod sanctitas templi Hierosolymitani non ad templum tantum, sed ad totam urbem Hierosolymitanam pertinuerit, in qua nemo sepultus sit præter Davidem &c. Sed Hebræi illam sanctitatem templi ita describunt, ut quæ ad sanctitatem templi pertinebant, non pertinerent ad Hierosolymam; v. g. quod nemo ingrederetur baculo, vel pulvere pedibus adhærente, vel pecunia syndoni illigata &c. quæ sane licebant in urbe Hierosolymitana. Ita *Maimon. de domo electa sive de templo c. 7.*

§. 10. Explicat *Oleaster* mensuram falsam prohibitam præcise de mensura majore; sed Hebræi annotant & ma-

gnam & parvam mensuram intelligi. Nam quicumque illegitima mensura, vel illegitimo pondere rem vendebat, debebat emptori damnum restituere, ceu docet *Maimon. de furto c. 7.*

Scholia in Caput 20.

§. 1. Conjicit *Fagius*, quod, quando Deus dicit, se velle ponere faciem suam adversus familiam ejus, qui Molocho infantem offerret, sensus hic sit, quod Deus iram suam familiae velit ostendere; Sed Hebraei scribunt familiam hujus hominis non peccasse, sed illum solum, qui infantem Molocho offerebat. Itaque sensum esse, quod Deus illum peccatorem, in familia existentem puniturus sit, ut tota familia consternatur. Videatur *Jarchius in b. l.*

§. 2. Conjicit *Drusus*, phrasin *morte morietur*, qui patri suo, vel matri maledixerit, explicari debere de strangulatione, quæ fuerit levissimum mortis genus. Sed tamen quia additur: *sanguis ejus sit super illum*, non potest non intelligi lapidatio, fatentibus Hebraeis ipsis, nempe *Maimonide de Synedriis c. 15. & Jarchio in Levit. 2. 20.* Cumque quaeri posset, an homo ab sola maledictionem lapidibus obrueretur; respondent Hebraei, illam maledictionem etiam cum blasphemia fuisse conjunctam, quam verbum לְהַקְדִּים significet, de quo videatur *Siphra P. 2. f. 263. p. 2.* & praeterea cum læsione patris & matris fuisse conjunctam.

§. 3. Conjicit *Vatablus*, si quis duxisset uxorem & matrem ejus, ambas esse comburendas; sed Hebraei affirmant, socrum tantum esse comburendam; neque enim uxor legitime ducta comburi poterat. Licet autem in Hebræo textu legatur, illas esse comburendas, tamen hoc ita explicatur, quod una illarum comburenda sit.

§. 4. Conjicit *Cornelius a Lapide* in v. 17. refectionem
audi-

nuditatis, esse membrorum ostensionem, quæ inciter ad libidinem; sed Hebræi scribunt, esse cohabitationis inchoationem, sive consuetudinem sine communicatione, ut loquitur *Jarchius* in h. l.

§. 5. Conjicit *Hugo Grotius*, v. 20. pro *Aririm* legendum esse *Arijim*, quod nudi mori debeant, si quis cum amita rem habuisset; sed quia nos constanter legimus *Aririm*, sensus hic est, quod mori sine liberis debeant, i. e. ut licet liberos habuerint, tamen illi morte miserrima moriantur, parentibus adhuc superstibus.

Scholia in Caput 21.

§. 1. Scribunt *Vatablus* & *Drusius* in v. 1. animam summi pro cadavere, cum prohibetur, ne sacerdotes se contaminent ex funere. Sed respondetur per animam intelligi hominem, in cujus luctu non se contaminare debebant sacerdotes. Nam prohibebantur sacerdotes, ne in immunditiam ex luctu contraherent, solis exceptis necessariis, quorum luctu non immundabantur. Ita tradit *Maimon. de luctu c. 2. & 3.* Conf. *Siphra in Levitic. c. 21.* Contrahebatur autem illa immundities, si sacerdos vel tangeret mortuum, vel ingrederetur tentorium, in quo jacebat, vel si tangeret sepulchrum, aut sanguinem mortui &c. *Maim. l. c. c. 3.*

§. 2. Commentatur *Malvenda*, in v. 4. prohiberi, ne vir sive maritus contamine se funere uxoris. Sed respondetur, illam contaminationem solis sacerdotibus, non aliis prohiberi, ut supra dictum est.

§. 3. Arbitratur *Piscator*, in v. 5. prohiberi, ne in luctu anguli barbæ radantur, qui idem sint, quod latera barbæ. Sed respondetur, licet anguli maxillæ superioris & inferioris comprehenderent simul latera barbæ, tamen angulus quintus, qui pone mentum erat, non habebat latera.

§. 4. Putat

§. 4. Putat *Munsterus*, scortum sacerdoti interdictum esse feminam fornicatam sub marito (sive uxorem) non sponte, sed vim passam. *Grotius* autem de femina externa, consuescente cum his, quibus nuptiæ ejus interdicebantur, interpretatur. Sed Hebræi docent, sacerdotibus omnibus fuisse prohibitas personas 3. nempe scortum, feminam profanam (sive natam ex femina sacerdoti summo interdicta v. g. ex vidua alterius sacerdotis summi), feminam repudiatam, ac præterea sacerdotis summi viduam. Ita *Maimon. de incestu c. 7.* & *Siphra in Levit. 21.* Hinc quoque deseruntur *Junius* & *Tremellius*, qui feminam profanam de violata accipiunt.

§. 5. Existimat *Menochius* in v. 15. verba, quod sacerdos summus semen profanare non debeat, ita debere intelligi, quod ducere in uxorem personam nobilem debeat. Sed respondetur, profanabat se, si unam personam ex prohibitis duceret, quas jam recensuimus.

§. 6. Vult *Füllerus*, in v. 18. inter vitia sacerdotis nasum etiam breviorum ponere. Sed *Jarchius* ex Hebræis asserit, indicari nasum depressum, sive simum, imprimis in parte superiore inter oculos.

§. 7. Autumat *Malvenda*, Sarua esse hominem cujus femur luxata coxendice distensum sit, ut trahat pedem alterum; sed *Jarchius* ad Hebræorum mentem statuit, notari quodcunque membrum, quod majus sit altero. De quibus vitiis sacerdotum legantur. *Maimon. de ingressu in sanctuarium c. 8.* & *Miscbna de primogenitis c. 7.*

Scholia in Caput 22.

§. 1. Sentit *Drusius* in v. 3. verba: quicumque appropinquaverit ad res sacras &c. ejus anima excindatur, ita debere intelligi, si quis tetigisset res sacras; sed solus tactus sacra-
rum

rum rerum non faciebat hominem excisionis reum, sed si tangendo commedisset res sacras, posteaquam sanguis earum aspersus altari esset, tunc demum fiebat excisionis reus, docente *Jarchio* in h. l.

§. 2. Statuunt *Münsterus* & *Pagninus*, filiam sacerdotis extraneo nuptam non posse comedere de oblatione sanctarum, vel consecratarum rerum. Sed in Hebræo textu tantum legitur de terumis, sive donis sacerdotum ex frugibus fructibusque acceptis, quod de iis edere istiusmodi filia sacerdotis non debuerit. Videatur *Maimon. de terumis* c. 7. 8. 9.

§. 3. Vertit *Vatablus* versiculum 19. hoc modo: ultro offeretur animal integrum. Sed longe melius vertitur, ut acceptabile sit vobis. Nam de ultroneis, sive spontaneis oblationibus sermo est in præcedentibus, ideoque vult dicere scriptura, si ultroneas velint dare oblationes Deo, quod illæ debeant esse integræ, ut Deo placeant, & fiant acceptabiles. Quæ uberius explicat *Jarchius* in b. l.

§. 4. Conjiciunt *Estius* & *Lyra* in v. 23. animal, cujus unum membrum majus erat altero, voluntario offerri posse, sive sacerdoti offerri posse, qui illud vel in suos convertere usus possit, vel vendere, & pretium in usum templi, vel sacrificiorum impendere. Sed respondetur; hujusmodi animal vendebatur, & pecuniæ dabantur in fiscum templi, ut de iis templum repararetur: Ita *Jarchius* in b. l.

§. 5. Glossa *Hugonis Grotii* est, in versiculum 25. victimas vitiosas, ne tum quidem accipiendas esse, ubi ab alienigena offerrentur. Sed respondetur, alienigenæ sive gentiles offerebant sacrificia vitiosa in excelsis tempore tabernaculi, modo non aliquod membrum deficeret, sed vitiosa non offerebantur in altari tabernaculi, docente *Jarchio* in b. l.

E

Scholia

Scholia in Caput 23.

§. Putat *Oleaster* in v. 10. vocem *Omer* potius manipulum, quam mensuram indicare. Sed respondetur, hæc sibi non opponi, quia intelligitur manipulus spicarum tostatarum hordeacearum, quæ in mensura Omeris offerebantur. Quomodo autem iste manipulus fuerit oblatus, fuse tradit *Maimon. de iuge sacrificiis c. 7.*

§. 2. Opinatur *Bonfrerius* in v. 17. obscurum esse, an duæ decimæ tantum in duobus panibus pentecostalibus, an in singulis fuerint, & se credere posterius. Sed quod non nisi duæ decimæ ad duos panes adhiberentur, luculenter & fuse testatur *Maimon. de iuge sacrificiis c. 8.*

§. 3. Placet *Menocchio* in v. 19. hircum caprarum, in festo Pentecostali offerendum, explicare de hirco novello (sive tenello,) qui matrem sequitur. Quæ etiam sententia est *Bocharti in Hierozoico P. 1. p. 632.* E contrario *Maimon. in libro de oblationibus c. 1. §. 14.* scribit hircum caprarum esse annorum duorum, & anno 2do vocari hircum. Conferatur *Lexicon Aruch. f. 28. col. 2.* ubi legitur hircum caprarum esse caprum masculum glabrum, (& sic non tenellum.)

§. 4. Mens *Malvenda* est, diem 8. festi tabernaculorum vocari *Azereth*, quia fuerit magna & valida festivitas, quæ sex intermediis diebus prævaleat, & æquet diem festi primum. Sed *Kimchius in R. AZAR* annotat, propterea vocari illum diem *Azereth*, quia populus, qui ascenderat ad festum, adhuc constringebatur, & detinebatur, ut hunc diem celebraret, licet 7. diebus tantum habitaret in tabernaculis. Patria docet *Jarchius in Levit. 23.* De lætitia hujus diei legantur *Maimon. in titulo de fasciulo festi tabernaculorum c. 8. & Mischna de tabernaculo c. 5.*

§. 5. Persvadet sibi *Munsterus Cappoth* esse extremitates arboris; sed Hebræ tradunt significare ramos palmarum.
fidem

fidem faciente *Maimonide in titulo de fasciculo festi tabernaculorum*, c. 7. & c. 8.

§. 6. Autumant *Fagius & Vatablus*, propterea in novo anno inflata esse cornua arietina, quia illud festum in honorem Isaaci, cujus loco aries immolabatur, fuerit institutum. Sed Judæi scribunt, tantum in memoriam Isaaci inflari cornua; nihil autem de institutione festi in ejus honorem memorant. Modus inflandi memoratur a *Maimonide de festo buccinae c. 1. & Miscbna de novo anno c. 3.* ad quem audiendum sonum obligabantur omnes *Maim. l. c. c. 2. & Miscbna l. c. c. 3. & 4.* Novem autem vicibus inflatio repetebatur. *Maim. l. c. c. 3. & Miscbn. loc. cit. c. 4.*

Scholia in Caput. 24.

§. 1. Explicat *Emanuel Sathus* cum panibus facierum oblatum, quod sit oblatum in memoriale sacrificiorum ignitorum. Volebat dicere, quod thus igne consumeretur, tanquam memoriale panum facierum, quia panes facierum non comburebantur. Videatur *Maimon. de jugesacrificiis c. 5.*

§. 2. Afferit *Hugo Grotius*, impositionem manuum blasphemo factam esse, uti indicaretur, ejus morte tanquam victima populum expiari, Sed *Maimon. in titulo de Idololatria c. 2.* scribit, propterea omnes judices & testes blasphemo ad mortem condemnato imposuisse manus, ut sanguis ejus esset super caput ejus, quia ipse fuerat in culpa; nec Judæi volebant expiari per hominem maleficum.

§. 3. Idem *Grotius* in v. 16. arbitratur, eos, qui maledixerant non expresso nomine Jehova, fuisse verberatos, Sed *Maimon. de Idololatria c. 2.* tradit, licet non novissent nomen Jehova, tamen si tantum cognomen Adonai pronunciasent, fuisse lapidatos.

§. 4. Præterea *Grotius* in v. 18. scribit, redimi animal mutum

mutum (si percussum esset,) ut rem possessam, hominem vero, qui omnia possidet, non redimi, sed eadem eade penfari. Sed Hebræi negant, hic de interneccione hominis sermonem esse, sed sermonem esse de patre vulnerato; quod si quis patrem vulnerasset, licet non occidisset, mori debeat, sicut ille, qui bestiam vulnerarat, licet non occidisset, debebat illam redimere. Ita *Jarchius in b. l.*

Scholia in Caput 25.

§. 1. Quid sponte nata sint, inter literatos disputatur. *Fagius & Vaablus* dicunt, esse illa, quæ ex granis inter demetendum deciduis succreverant. *Oleaster* asserit, esse istud, quod conjunctum terræ non ascenderat in olus. Sed respondetur, licet *Jarchius* non inficietur sponte nata etiam fuisse illa, quæ ex granis deciduis succrescebant, tamen pleaque sponte nata ex illis crescebant granis, quæ per triturationem, in agris usitatam, terræ fuerunt impressa. Fiebat autem trituratione vehiculo. *Miscbna de vacca rufa. c. 12. §. 9.*

§. 2. Quid uvæ separationis fuerint, indagant *Malvenda & Junius*. *Malvenda* scribit, fuisse uvas, in quibus colendis Judæus non laboraverat; similiter *Junius* existimat, intelligi uvas vineæ, eo anno desertæ, & incultæ. Sed Hebræi intelligunt uvas, quas Paterfamilias sibi reservarat, nec fieri voluerat communes, quia non reservari aliquæ uvæ debebant, sed dari pauperibus. Videatur *Jarchius in b. l.* Poterat tamen, si communes fierent, aliquid de iis capere. *Elias Orient. in b. l. fol. 223. col. 4.*

§. 3. *Scaliger & Lyra* statuunt, annum Jubilæum fuisse quadragesimum nonum. *Bochartus* vult fuisse quinquagesimum. Sed respondetur, utrumque annum fuisse sanctum. Nam septies septem anni sunt 49. & hinc annus 49. erat annus requiei terræ, quem sequebatur annus

nus

nus 50. sive Jubilæus proprie dictus; ita *Jarchius in l. 1. Co-*
incidebant autem illi duo anni in prohibitione agriculturæ,
& remotione fructuum; discrepabant autem in eo, quod
anno septimo restituerentur pecuniæ, non autem in Jubi-
læo, & quod in Jubilæo dimitterentur servi, & restitueren-
tur fundi, non autem in anno 7. Ita Maimon. de anno Ju-
bilæo. c. 10.

Scholia in Caput 26.

§. 1. *Oleaster* in hac sententia, quod *Maskitb* notet lapidem
 inclusum, quia gentiles solebant includere muris parietum sta-
 tuas & imagines suas. Sed *Maimon. de Idololatria c. 6.* hanc vo-
 cem ita explicat, quod fuerit lapis, super quem exstruxerint
 idolum; & si Judæus ejusmodi lapidem tantum posuisset, licet
 nondum idolum exstruxisset, fuisse flagellatum. Quomodo au-
 tem differret a *Mazzebba* docet *Jarchius in Deut. 16. v. 22.*

§. 2. *Munsterus* consentientes sibi Hebræos habet in v. 3.
 cum docet, statuta esse ejusmodi præcepta, quorum dari non
 possit ratio, nisi quod Deo ita placuerit. Conferatur *Maimon.*
de prævaricatione c. 8. & de regibus. c. 4. sed quando *Munsterus* ait
 præcepta esse ea, quæ aliquam rationem habeant, ab Hebræis
 deferitur, scribentibus præcepta esse explicationem legis scrip-
 tæ. Ita *Maimon. de mactatione c. 1. & imprimis in præfatione Jad Cha-*
saka. Non modo autem illa præcepta explicantur, quarum
 non dari potest ratio v. g. præceptum de lana & lino non con-
 jungendis in veste una, de peniculamentis vestibus an-
 nectendis &c.

Scholia in Caput 27.

§. 1. *Cornelius a Lapide* arbitratur, æstimationem animarum
 esse æstimationem personarum, cum homo personam suam Deo
 devovisset; sed Hebræi dicunt, æstimationem animarum fuisse
 hanc, cum homo vel æstimationem animæ suæ, vel animæ al-
 terius hominis Deo devovisset v. g. si diceret, recipio in me æ-

æstimationem, vel pretium capitis mei, vel cordis mei, vel capitis hujus, vel illius hominis, vel cordis hujus vel illius hominis, quia a capite & corde dependebat anima, sive vita humana. Itaque homo non se ipsum tantum, sed & alium hominem devovere poterat. Ita informamur a *Jarchio*, & *Elia Orient. in b. l.*

Bonfrerius autumat per æstimationem intelligi æstimationem pecuniæ: sed *Jarchius* & *Elias Orient.* scribunt, non intelligi æstimationem pecuniæ, quasi homo dixisset, recipio in me pecunias æstimationis meæ, quanti æstimor, vel alterius hominis, quanti ille æstimatur, sed hominem voventem dixisse, recipio in me rem ipsam, sive me vel alium, prout res erat vel carior vel vilior. Æstimatio autem personarum valebat secundum annos, non vero prout persona vel sana, vel ulcerosa erat, aut languida; v. g. a die 30. nativitatis ad annum 5. æstimabatur masculus 5. & femella 3. siclis, ab anno 6. ad 20. æstimabatur masculus 20. & femella 10. siclis, ab anno 20. ad 60. æstimabatur masculus 50. & femella 30. siclis, ab anno 61. ad mortem æstimabatur masculus 15. & femella 10. siclis, sicli autem erant sacri. Ita *Maimon. de æstimationibus c. 1.*

§. 3. *Tirinus* scribit, si quis se ipsum Deo, vel filium suum devovisset, fuisse illos ad infima ministeria adhibitos, v. g. ut portarent aquas & lingua, vel sordes everrerent &c. quia munus sacerdotum & Levitarum nemo vovere poterat. Sed respondent Hebræi, qui se ipsum vel filium Deo devoverat, debuisse dare sui vel filii pretium. Quod si non tantum haberet in bonis, quanti ejus vel filii valebat pretium, secundum annos illorum, tunc auferebatur ei quicquid habebat, ut vestis tantum, pulvinar, & instrumenta opificii, quibus se alebat, relinquerentur, docente *Jarchio in b. l.*

§. 4. *Oleaster* existimat, quod animal Deo devotum debuerit immolari. Sed respondent Hebræi, debuisse immolari, si non esset vitiosum, nec inidoneum. Quod si autem homo Deo devovisset partem tantum animalis v. g. pedem, debebat animal vendi, & reliquæ pecuniæ erant profanæ, exceptis pecuniis pedis, quæ a sacerdotibus asservabantur. Videatur *Jarchius in b. l.*

§. 5. *Lyra*

§. *Lyra* opinatur, si ager Deo devotus esset pro 50. siclis, illos siclos simul debuisse solvi. Respondetur, prout se habebat redemptio. Nam si redimere volebat homo agrum in initio Jubilæi, solvebat 50. siclos; si vero redimere vellet in medio Jubilæo, dabat pretium secundum numerum annorum ad Jubilæum futurum restantium, pro quolibet anno siclum & obolum. Ita *Jarchius in b- l.*

§. 6. *Vatablus & Fagius* commentantur in v. 21. agrum egredientem in Jubilæo vocari agrum anathematis, quia ad profanos adhiberi usus non potuerit; sed secundum Hebræos ager ille sanctus, qui egrediebatur in Jubilæo, ita debet explicari, quod a præfecto templi esset venditus, & egrederetur ex manu ejus, qui illum a præfecto templi emerat, ac ad usus profanos adhibuerat.

§. 7. *Lyra & Bonfrerius*, statuunt, quod immundum animal, cujus mentio injicitur v, 27. sit animal primogenitum. Sed animal primogenitum non erat immundum, sed sanctum, & hinc redimebatur, quia non ad patrem familias, sed ad Deum pertineat. Itaque hic in v. 27. agitur de animali immundo, quod voto promissum erat, ut Deo immolaretur, & immolari non poterat; quia nihil immundum Deo offerebatur, ceu docet *Jarchius in h. l.* qui inter alia scribit, hæc verba non posse ad animal primogenitum referri, quia primogenitum non erat immundum; nec posse primogenitum animal asini intelligi, quia illud non æstimabatur, sed redimebatur agno quantivis pretii.

COROLLARIA.

De

Imaginibus Hebræarum rerum recentioribus.

I.

Scala altaris holocaustorum non erat peristyliis ornata, cujusmodi imago Hebræis est incognita. Vid. S.

II.

II.

Nec altare holocaustorum erat ante mediam templi portam, sed a latere versus austrum. Vid. S.

III.

Nec sacerdotes, ambulantes inter cornua altaris holocaustorum, ambulabant in altaris superficie extima, sed circa mensam marmoream altaris. Vid. Van. T.

IV.

Nec sacerdotis summi thuribulum, quo sanctum sanctorum ingrediebatur, habebat figuram calicis vel poculi. Vid. B.

V.

Nec bos præcedens primitias, in templum deferendas coronabatur primitiis circa collum & corpus. Vid. S.

VI.

Nec vacca rufa comburebatur pelle. Vid. S.

VII.

Nec laceratio vestium in luctu fiebat circa pectus, nec inferius, nisi a solo sacerdote summo, qui vestem inferius lacerabat. Vid. S.

VIII.

Altaris holocaustorum imago a nobis delineata non ad altare Ezechielis, sed Templi secundi pertinet. Vid. H.

IX.

Femina aquis amaris potata solutis crinibus, & pectore nudo e templo ejiciebatur. Vid. S.

X.

Scribæ duo synedrio adstabant, non asidebant, nec in medio synedrii loco, sed in extremitate confessus stabant. Vid. S.

XI.

Qui apud Hebræos comburebantur, vel suffocabantur, non alligabantur palis; nec qui flagellabantur prostrati erant in terram. Vid. H.

SOLI DEO GLORIA.

Coll. diss. A. 24, misc. 44